

/ Reverendum Patrem de Canillac abeuntem dimisimus, Cardinalis  
Ill<sup>me</sup> et Reverendissime, pro mea quidem peculiari consolatione non  
lubenter, pro communi vero Ecclesiae bono non invitatus. Propter rei  
difficultatem non despero: est enim tam facilis ut non possit desi-  
5 derari amplius. Sed timeo ne qui auctoritatem habent, alio intenti  
nostris precibus nullum relinquant locum, nisi V.D.R. et Ill<sup>ma</sup> sui-  
que similes adiuvent. Non est quod V.D.R. et Ill<sup>mae</sup> omnia singilla  
tim exponam, praesertim cum id egerim in litteris quas ad suam San-  
ctitatem mitto, et R.P. de Canillac ad V.D.R. et Ill<sup>mam</sup> possit viva  
10 voce referre melius quam ulla epistola explicari possit. Quam pro-  
pensus est Patriarcha Constantinopolitanus erga Romanam ecclesiam:  
quid cum eo agendum: quid de Graecorum educatione non suspecta Tur-  
cis et Graecis: quid de missione in Aegyptum, in Mongoliam ut vo-  
cant ubi catholici sunt sine ullo sacerdote: quid de nostris reli-  
15 giosis et aliis quibusdam rebus, quarum narrationem huius patris  
prudenter remitto. Si unquam V.D.R. et Ill<sup>ma</sup> aliquod pium opus ag-  
gressus est, si unquam Ecclesiae bono ex animo inservivit, si salu-  
tem animarum et peccatorum conversionem promovendam curavit, huic  
negotio impensius incumbat obsecramus, unde tanta Ecclesiae utili-  
20 tas dependet et tot mille hominum salus qui ex hoc nefario schis-  
mate eripientur. Pera. Pridie Cal. Februarii anno Domini 1613.

Addictiss et obsequentissimus ~~Achille de Harlay~~

[Achille de Harlay]